CAESAR

DE VERBORUM ARSIS ET THESIS
APUD SCRIPTORES ARTIS METRICAE
LATINOS

INDICES
LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE HIBERNUM

INDE A D. XV. M. OCTOBRIS MDCCCLXXXV USQUE AD D. XV. M. MARTII MDCCCLXXXVI

HABENDAE PROPONUNTUR.

Disputationem de verborum *arsis* et *thesis* apud scriptores artis metricae latinos, inprimis Marium Victorinum significatione praemisit *Iulius Caesar*.

MARBURGI.
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.

ACADEMIAE MARBURGENSIS

RECTOR CUM SENATU

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS

S. P. D.

Exspectari poterat et a nonnullis exspectatum est, eum qui superiore anno indici lectionum hibernarum praefatus est libelli academici scribendi occasione ad ipsum redeunte ita usurum esse, ut in adnotatis de Aristoxeni elementis rhythmicis, quorum argumentum materiamque maxime Westphali de hac re liber 1883 editus praebuerat, in medium proferendis pergeret. Sed ab hoc consilio persequendo deterrere eum debebat liber nuperrime ab illo viro in lucem emissus qui inscribitur: Theorie der musischen Künste der Hellenen von August Rossbach und Rudolph Westphal. Als dritte Auflage der Rossbach-Westphalschen Metrik. Erster Band: Griechische Rhythmik. Leipzig. 1885. Nam convitiis et facetiis magis insolentibus quam facetis, quibus ille utitur pro argumentis, respondere non licet sic ut par est hoc quidem loco, qui publica quadam auctoritate ornatur et commilitonibus inprimis dedicatur, quibus in controversiis litibusque ipsarum literarum causa non detrectandis exempla dignitatis gravitatisque cuiusdam sunt proponenda, quam propulsantes indignam insectationem omnino servare neque debemus neque possumus. Hunc igitur obtrectatorem, quantum per disputationis rationes id fieri potest, missum faciamus. Quanquam pacis gratae optataeque causa non decet arma abicere. Itaque alii adversario, qui propter eorum, quae superiore anno disputavimus, partem aliquam nobis exstitit, minime de via decedimus, sed libenter cum eo in campum honestae contentionis descendentes totam causam, de qua agitur, iterum tractandam suscipimus, unde aliquam certe lucem rei obscurae offusum iri speramus, etiamsi non de omnibus inter omnes conveniat. Carolum de Jan dico, qui nuper in actis philologicis Bremensibus (philologische Rundschau 1885 p. 645 sqq.) censuram nostrae dissertationis edidit.

Agitur de verborum *arsis* et *thesis*, *sublatio* et *positio* apud latinos artis metricae scriptores, inprimis apud Marium Victorinum usu. Nam cum certum sit, recentiorum usum et Bentleii et G. Hermanni auctoritate confirmatum contrarium esse Aristoxenio, fuerunt qui illum ipsum e veteribus metricis originem ducere et inprimis Priscianum eius vestigia ostendere docerent. Marium Victorinum autem primus Westphalus in libro qui inscribitur die Fragmente und die Lehrsätze der griechischen Rhythmiker (Leipzig 1861) [1]) p. 101 sqq., quam disputationem sine ulla mutatione exceptis paucissimis verbis rem ipsam vix attingentibus in novissimum librum (p. 106 sqq.) transtulit, triplici modo istis verbis usum esse demonstrare sibi visus est, ita ut arsin et graviorem et leviorem et cum reliquis posterioris aevi metricis incipientem pedis partem appellaret. Et graviorem quidem significari in capite quod de arsi et thesi inscribitur, leviorem cum Aristoxeno in eo quod est de rhythmo, incipientem partem in ceteris locis. Solum autem Marium Victorinum inter scriptores *metricos* veteres prima illa dicendi ratione usum esse, secutum ea in re usum grammaticorum, qui, sicut Priscianus, musicae artis rationes ad grammaticas transtulerint [2]). Huic sententiae ego oblocutus sum in appendice libri de artis rhythmicae elementis secundum Aristidis Quintiliani doctrinam anno 1861 editi p. 273 sqq., etiam Marium Victorinum eundem ubique usum, quem posteriores scriptores metricos omnes et latinos et eiusdem generis graecos, exhibere contendens, quod quidem non poterat sustineri nisi ita ut nonnulli loci Victoriniani libri mendis manifestis scatentis corrigerentur et a glossematis liberarentur. Quam demonstrationem cum Westph. in libris postea editis omnino non curasset, atque praeter alios Christius in utraque libri de arte metrica editione veterem sententiam ab ipso Westphalo reiectam de metricorum posteriorum, inprimis latinorum usu genuinam dicendi rationem in contrariam vertente repetiisset, equidem in dissertatione, quam superiore anno de Aristoxeni elementis rhythmicis scripsi, meam sententiam iterum proposui atque defendi novis argumentis quibusdam confirmatam, quam tandem refutare Janus instituta accuratiore disputatione Victorini illud de arsi et thesi caput spectante suscepit, hac quidem in re Westphali iudicium prorsus collaudans. Iam tota re iterum ea cum diligentia, quam ne in vilioribus quidem rebus ad literas pertinentibus neglegere decet, perpensa quid efficiatur videamus.

Et primum quidem dicendum esse videtur de Prisciano personato — nam ad genuinum Priscianum non pertinere libellum de accentibus fere omnes consentiunt —, quem tanquam adiutorem quendam ad recentiorem verborum, de quo agitur, abusum latinis scriptoribus vindicandum adhibere non desinunt, quanquam dudum demonstratum

1) Non praetermittendus est annus, cum in Westphali novissimo libro p. 211 quidem recte idem afferatur, sed p. XXXIV anno 1859, p. 231, ubi temporis notatio non nullius momenti est, anno 1860 ille liber tribuatur. De ipsa re cf. quae in praefatione libri mei de Aristide Quintiliano a. 1861 editi dicta sunt.

2) Westphali verba haec sunt: »*Die Umkehrung der beiden Worte bei Priscian scheint also weiter nichts als eine freie Uebertragung musikalischer Termini technici auf grammatische Verhältnisse, und Mar. Victorinus in seinem Kapitel* de arsi et thesi, *aber er allein unter sämmtlichen Metrikern, hat jenen Gebrauch adoptirt*«.

est, eum omnino non de rhythmo ad artem metricam pertinente loqui, sed de accentu cum rationibus modorum musicorum aliquatenus cohaerente. Ille enim postquam in libro de accentibus de acuti et circumflexi discrimine et legibus disputavit, haec verba addit cap. II § 13 pag. 521 Keil.: *ad hanc autem rem arsis et thesis sunt necessariae. nam in unaquaque parte orationis arsis et thesis sunt, non in ordine syllabarum, sed in pronuntiatione: velut in hac parte,* n a t u r a, *[ut] quando dico* n a t u, *elevatur vox, et est arsis intus; quando vero sequitur* r a, *vox deponitur, et est thesis deforis* [1]). *quantum autem suspenditur vox per arsin, tantum deprimitur per thesin. sed ipsa vox, quae per dictiones formatur, donec accentus perficiatur, in arsin deputatur; quae autem post accentum sequitur, in thesin.* Neque omnino curandus nobis esset grammaticus barbarus, nisi videremus alios quoque scriptores metricos rhythmicas cum musicis accentusque rationibus in verborum eorundem usu miscere. Mittamus P l e t h o n e m Byzantinum, qui singulari modo *ἄρσιν μὲν οὖν εἶναι ὀξυτέρου φθόγγου ἐκ βαρυτέρου μετάληψιν, θέσιν δὲ τοὐναντίον βαρυτέρου ἐξ ὀξυτέρου* dicit, altioris et gravioris in re musica soni significationem e doctrina rhythmica ita repetens, ut *ἄρσιν* appellet quae *ἐπίτασις*, *θέσιν* quae *ἄνεσις* nominari solet, ubi harmoniam, non accentum [2]) spectari verba proxime insequentia docent, quanquam paullo post in adhibendis illis verbis veterem usum rhythmicum revocat. Sed latinos artis metricae scriptores videmus accentus rationem habere in praeceptis de arsi thesique datis, unde ipsa definitio, qua uti solent, aliqua ex parte pendere possit, nec minus illa consuetudo explicari, qua priorem pedis partem latini accentus rationes secuti arsin s. sublationem, posteriorem thesin s. depositionem appellare solent, etsi ea etiam longius repetenda est. Accuratius persequamur horum scriptorum usum, ut appareat, num verum sit, Marium Victorinum in uno quidem capite solum a vulgari consuetudine recedere.

Sublationem et *positionem* primus Quintilianus Inst. or. IX, 4, 48 ad rhythmum s. numerum ita refert, ut, licet ex eius verbis non certo constet, quamnam vim peculiarem

---

1) Sic Keilius verba grammatici e codd. restituit, quae iam Lindemannus ex parte correxerat. Lectionem antea vulgatam prorsus corruptam praeter alios Westph. etiam in recentissimo libro p. 108, sicut antea, retinuit, Keilianae editionis, ut in toto hoc de veterum grammaticorum usu capite, ratione non habita. In verbo posterioris latinitatis *deforis*, quod ne Forcellinus quidem agnovit, quanquam pro *foris* positum iam a Cledonio vituperatur, atque in vulgata bibliorum interpretatione et apud Isidorum extat, haesisse videntur priores editores.

2) De quo cogitari posse suspicatus est Vincent, qui illum locum primus in lucem protraxit Notices et Extraits des manuscrits XVI, 2 p. 246 et in Plethonis de legibus libro a C. Alexandre a. 1858 edito p. 461. Cf. quae dixi in libro de Aristide Quintiliano p. 69. Weil-Benloew in libro infra laudando p. 99 ipsi Plethonem cum Prisciano componunt, quod admitti posset, si Plethonis verba per nexum sententiarum ad accentum referri liceret. Nam fuisse qui accentum acutum *ἐπιτεταμένην*, gravem *ἀνειμένην* appellarent, e Sergii explanat. in Donat. IV, p. 530, 19. 531, 14 Keil., qui Varrone auctore. Glaucum Samium affert, constat. Cf. praeter alios Frid. Schoell de accentu linguae lat. (Act. soc. philol Lips. T. VI) p. 81. 88. Quod autem Schoellius p. 31 Martiani Capellae verba (IX, 940): *productio autem est — hoc est ἐπίτασις — vocis commotio a loco graviore in acutum locum* huc refert, id comprobare non possum, cum in parte harmonica legantur non minus quam Plethonis verba similia. Quanquam alibi productionem et correptionem etiam ad accentum referri, Schoellio concedendum est.

alterutri tribuat, tamen a sublatione incipere, positione desinere pedem rhythmicum indicare videatur. Aliter enim accurate non esset locutus, inter dactylicum rhythmum et metricos pedes ad eum pertinentes hoc interesse docens, *quod rhythmo indifferens, dactylicusne ille priores habeat breves an sequentes: tempus enim solum metitur, ut a sublatione ad positionem idem spatii sit*[1]). Quanquam in his de partibus rhythmi inter se distinguendis non agitur, sed de spatio temporum ab initio usque ad finem rhythmi pertinente, nihilo minus sublationem et positionem esse diversas partes, quibus rhythmus constet, etiam ex altero loco apparet, quo *rhythmos qua coeperint sublatione ac positione ad finem usque decurrere* dicit (IX, 4, 55). Propriam autem horum verborum vim secundum veterum rhythmicorum disciplinam Quintilianum spectasse, inde apparet quod *ad crepitum digitorum et pedum*[2]), i. e. ad tactus quem nos dicimus notationem, referuntur.

Inter eos scriptores latinos, qui rem metricam data opera tractaverunt, primo loco et propter aetatem et illius de qua agimus quaestionis causa tenet Terentianus Maurus. Quem cum fere omnes in eorum numero ponant, qui priorem partem arsin, posteriorem thesin appellent, Weilius in parte quidem eorum quae profert accentum cum numero confudisse contendit. (Weil et Benloew, theorie de l'accentuation latine. Paris 1855. p. 100). Videamus quo iure id statuerit. Terentianus ubi de minimo pede loquitur, duabus brevibus syllabis constante, haec habet v. 1345 sq.: *parte nam attollit sonorem, parte reliqua deprimit* | (*ἄρσιν hanc Graeci vocarunt alteram contra θέσιν*); | tum v. 1350 sqq. pergit: *aut enim quantum est in ἄρσει, tantum erit tempus θέσει,* | *altero aut simplo vicissim temporis duplum dabit,* | *sescuplo vel una vincet alterius singulum.* | V. 1380 sq. de pyrrhichio et spondeo haec dicit: *verum uterque quantum in arsi, tantum habebit in thesi*: | *temporum mensura dispar, lex soni communis est;* deinde v. 1381 sqq. de iambo et trochaeo inter se comparatis: *terna rite partientur ambo vicibus tempora:* | *ἄρσις unum possidebit, quando iambum partior;* | *fiat alternum necesse est, cum trochaeum divides.* E prioribus locis cum nihil certo concludi possit, nisi verbis de quibus agitur discerni partes pedis rhythmici, ex ultimo apparet, arsin certe non esse partem fortiorem, dubitari autem possit, utrum alternum in trochaeo fiat ita, ut ἄρσις duo tempora possideat, an ita, ut θέσις duorum temporum antecedat, ἄρσις sequatur unius temporis secundum veterum Graecorum dicendi rationem. Neque haec dubitatio tollitur verbis, quae v. 1409 de dactylo anapaestoque habet: *horum uterque tempus aequum librat arsi cum thesi.* Sed omnino removetur versibus 1421 sqq. de amphibracho: *arsis hinc sumat necesse est tria priora tempora* | *et thesi relinquat unum: vel licet vertas retro,* | *arsis*

---

1) Quod Westph. Metr. II² p. 504 in his verbis inesse dicit: »*es ist überall von dem Anfange der Arsis bis zum Anfange der Thesis dieselbe Zeitdauer, womit zugleich gesagt ist, dass auch a positione ad sublationem, d. i. vom Anfange der Thesis bis zum Anfange der Arsis jedesmal dieselbe Zeitdauer hat*«, Quintiliani sententiam non exprimere, iam ipse forsitan intellexerit.

2) Recte e Christii coniectura Halmium edidisse *et pedum*, § 51 verba docent: *ubi tempora etiam* [*animo*] *metiuntur et pedum et digitorum ictu,* in quibus pro *animo* iure incluso non *inania* scribendum, sed graecum σημεῖα subesse corruptae lectioni suspicor, sive ab ipso Quintiliano sive a glossatore ad explicanda vv. τετράσημοι cet., quae sequuntur, additum. V. *etiam* et ipsum sub corruptionem cadere videtur. An scriptum erat *tempora id est σημεῖα minima*?

uno sublevetur, deprimant thesin tria. Hinc etiam de prioribus locis certa conclusio facienda est, arsi priorem, thesi alteram significari divisi pedis partem. Gravissima autem in hac quaestione sunt verba Terentiani, quibus amphimacrum s. creticum explicat, v. 1431 sqq. *sescuplo metimur istum: quinque nam sunt tempora: | nunc duo ante*[1]), *tria sequuntur, nunc tribus reddes duo, | Italum si quando mutat Graius accentus sonum. | Apulos nam quando dico, tunc in arsi sunt duo: | Σωκράτην Graius loquendo reddet in thesi duo.* Unde nihil patet colligi posse de arsi secundum Aristoxeni usum dicta tria in cretico tempora continente, quam Aristoxeno ipsi nunc plerique contra meam sententiam tribuunt; nam ne hoc quidem loco Terentianus arsin et thesin aliter accipi vult atque antea. Sed miro quodam modo accentum adhibet ad pedem rhythmicum in partes suas dispertiendum. Nam cum in latino sermone prima syllaba verbi *Apulos*, quod cretici formam habet, accentum obtineat propter leges latini accentus proprias, hanc syllabam solam ad arsin referri docet, contra in verbo graeco *Σωκράτης* eandem pedis metrici formam praebente mediam syllabam brevem ad arsin pertinere. Qua in re non prorsus consentit cum Pseudo-Prisciani doctrina, qui syllabarum prosodiae et metricae formae nullam habet rationem, verbum afferens quod palimbacchii, non cretici exhibet formam, sed ea in re consentit, quod uterque ad arsin referunt syllabam ictu s. accentu notatam simul cum ea quae antecedit, ad thesin eas syllabas, quae accentu elatam sequuntur, id quod Terentianus etiam clarius reddit adhibito graeco exemplo, in quo accentus in media brevi syllaba locum habet, ita ut secundum illam legem ea simul cum antecedente longa efficiat arsin cretici, cum in verbo latino id fieri nequeat propter naturam latini accentus in penultima brevi verbi trisyllabi locum non habentis[2]). Quodsi hoc loco arsis et thesis notiones ab accentu pendent, an idem etiam ad priores locos referri debet? Fieri hoc possit in eo loco, quo de duabus syllabis ad pedem efficiendum necessariis sermo est (v. 1346), quem Schoellius l. l. p. 121 inter testimonia accentum spectantia posuit; et possint aliae quoque pedum descriptiones sub hanc sermonis consuetudinem cogi. Sed nullo modo fieri id potest, ut recte monuit Weilius, in anapaesto, siquidem accentus latinus in prima syllaba brevi haeret, et altera brevis secundum eam rationem, quam Terentianus in describendo cretico sequitur, non potest ad priorem partem trahi. Denique ubi de quadrisyllabis geminis in partes suas dispertiendis loquitur (v. 1566 sqq.), *ἄρσιν* et *θέσιν* nonnisi ad divisionem rhythmicam refert, accentus ratione non habita. Itaque ab inconstantiae cuiusdam crimine Terentianus liberari non poterit in iis quae de cretico statuit.

Non praetermittendum videtur hac occasione data, aliam atque a Terentiano et Pseudo-Prisciano legem de syllaba dubia sive ad arsin sive ad thesin trahenda a nonnullis grammaticis proferri, qui et ipsi ab accentu discrimen pendere docent. Nam cum illi eas syllabas, quae ictu notatam sequuntur, ad thesin referant, Servius, Pompeius, Iulianus in commentariis in Donati artem grammaticam scriptis, alii mediam syllabam

1) Comma post *ante* interposui, quod omittunt editores, ut *duo* pro accusativo habere et *ante* pro *priora* positum censere videantur. At cf. v. 1486 de choriambo *est ante trochaeus, sequitur dehinc iambus.*

2) Hinc aliquatenus corrigenda aut explicanda sunt ea quae in libro de Aristide p. 194 dixi, minus perspicue sententiam exponentia quam significata erat p. 69.

verbi trisyllabi ad arsin trahi docent, si in prima fuerit accentus, ad thesin, si in ipsa media sit. Sed haec ipsa regula ad ea tantum verba trisyllaba videtur pertinere, quae neque aequalem neque duplicem rationem in partitione admittunt. Nam dactylum et anapaestum vix ullus melioris notae grammaticus ita diviserit, ut in illo alteram syllabam a tertia, in hac a prima seiungeret. Neque de tribracho cogitari licet, qui accentum in media latini verbi syllaba non admittit. Latius quidem patent haec Servii verba IV. p. 425 Keil.: *quotienscumque contingit, ut tres syllabae sint in pede vel quinque, quoniam non licet in divisione temporum syllabam scindi, sed aut principio adplicatur aut fini, idcirco debemus considerare, media syllaba cui parti coniungi debeat. et hoc ex accentu colligimus. nam si in prima syllaba fuerit accentus, arsis duas syllabas possidebit; si autem in media syllaba, thesi duas syllabas damus:* ipsa tamen argumentatio docet, eum de trisyllabis quinque temporum solis cogitare, ita ut fere consentaneum sit, post *quinque* inserendum esse *tempora* [1]). Pompeius autem V. p. 120 sq. Keil. in misera quidem verborum confusione versatur, temporis et syllabae notiones ita miscens, ut in trisyllabis quotiens media syllaba accentum habeat, arsin habere unum tempus et thesin duo, contra quotiens prior syllaba habuerit accentum, arsin habere duo tempora et thesin unum dicat, pro exemplis utriusque formae verbis quatuor temporum *Camillus* et *Romulus* usus; attamen idem fere cum Servio dicere voluit, id quod ipse indicat p. 124, 24, praeceptum suum antea datum cautioribus verbis repetens. Eandem rationem sequitur Iulianus V. p. 321 K. Ex his facile colligere possumus, quomodo factum sit, ut ipse Terentianus in solo metro quinque temporum ista accentus doctrina abuteretur.

Non opus esse videtur omnes latinorum grammaticorum de arsi et thesi s. sublatione et positione locos persequi, qui quidem ea in re consentiunt, quod illam incipientem, hanc sequentem pedis partem esse volunt. Nam hoc non solum ad Sergium, Terentianum, Pompeium, Atilium Fortunatianum [2]) pertinet, quos Christius p. 53 ed. II appellat, sed non minus ad ceteros, qui rem metricam in arte grammatica tractant, licet nonnulli in verborum definitione primariam significationem respiciant, ut elationem et positionem secundum Graecorum usum ad corporis motum referant, in quo pes primum tollitur, deinde ponitur, cum alii illa nomina e vocis elatione et remissione explicent. Nam ut Donatum ipsum omittamus, qui arsin et thesin tanquam partes uniuscuiusque pedis commemorat definitione non addita (IV. p. 369, 16 Keil.), praeter ceteros eius commentatores Servius idem sequitur dicendi genus IV. p. 425, 8 sqq. K. (de quo loco supra

1) Quanquam in pentasyllabis eadem distributionis diversitas locum habet, ut exposuit e. c. Marius Vict. p. 49, 22 sqq.

2) Quod Westph. in novissimo libro p. 275 Atilium sublationem et positionem vetere more, non postea usitato dicere contendit, sane mirabitur qui ipsa verba latina de variis pedibus metricis in trimetro iambico admissis legerit (VI. p. 286, 22 sqq. K.): *fiunt ergo hi universi pedes quinque. inveniuntur semper hi omnes in incipientibus locis, id est sublationibus, quae loca imparia quidam vocant, in desinentibus vero, id est in depositionibus, quae loca paria appellant, nonnisi qui a brevibus incipiunt.* Quid verbis *sublationes* et *depositiones* significare voluerit Atilius, ipse accurate expressit (cf. idem p. 281, 5 de dactylo *arma vi*, ubi *ar* dicit sublationem esse, *ma vi* positionem). Westph. autem addit: *Die geraden Stellen sind die θέσεις, also die Ictusstellen.* Haec scilicet est ars interpretandi!

dictum est), neque aliter Cledonius V. p. 31, 19 sqq., Iulianus ib. p. 321, 11 sqq., qui aperte *arsin* dicit esse *elevationem id est inchoationem partis*, *thesin positionem id est finem partis*, Diomedes I. p. 474, 31 sqq. K., qui haec habet: *pes est sublatio ac positio duarum aut trium ampliusve syllabarum spatio comprehensa. pes est poeticae dictionis duarum ampliusve syllabarum cum certa temporum observatione modus recipiens arsin et thesin*, *id est qui incipit a sublatione*, *finitur positione* [1]). Cum his conveniunt quae p. 480, 10 dicit: *iambi enim arsis unum tempus tam in se habet et eius thesis duo quam trochaei versa vice arsis duo habet et thesis unum.* Haec exempla sufficiunt, ut alia praetermittere liceat. Martianus Capella cur in hac quaestione omnino omittatur, obscurum non est.

Idem dicendi genus exhibere omnes consentiunt M a r i u m V i c t o r i n u m in eo capite quod *de pedibus* inscribitur, in quo reperiuntur haec verba de iambo et trochaeo, si Keilium sequimur (VI. p. 45, 25 sqq.): *horum arsis et thesis alterna mutatione variatur, siquidem in iambo arsis primam brevem, in trochaeo autem longam habeat incipientem, thesis vero contraria superioribus sumat;* ubi cum codices habeant *longam habeat in thesi vero,* equidem restituere maluerim: *in trochaeo autem longam habeat, in thesi vero contraria superioribus sumant* (vel, si placet, *sumantur*). Quae praeterea de arsi thesique singulorum pedum proferuntur, certam demonstrandi in nostra quaestione vim non habent, exceptis iis quae p. 47, 6 sqq. de pedibus duplicibus tetrasyllabis extant: *in qua* (syzygia) *arsis unum, alterum thesis pedem obtinebit. quamquam in his non numquam syllaba pro integro pede in ultima dumtaxat versus parte accepta propriam impleat thesin* [2]).

Iam ad eam disquisitionem redeamus, num eadem dicendi ratio in reliquis Marii Victorini locis extet. Qua in re nemo negaverit, constantiam praeceptorum, quae in libris illo nomine inscriptis leguntur, minime tanquam primariam legem esse anquirendam. Nam e variis fontibus ea hausta et a grammatico non nimis docto composita esse, minime latet. Quinam autem fuerint illi fontes, et quaenam partes Aphthonio, quem omnino in Marii Victorini locum succedere plerique volunt, vel Iubae vel nescio cui Thacomesto barbari nominis tribuendae sint, nunc quaerere nihil attinet [3]). Nihilominus vel inter

---

1) Hinc elucet, verba corrupta, quae apud eundem Diomedem p. 502, 16 de pedum regione sic leguntur: *thesis in disyllabis constat*, *arsis in trisyllabis*, *basis synzugia dipodia in tetrasyllabis constat*, hoc fere modo esse emendanda: *thesis et arsis in disyllabis constat*, *item in trisyllabis*, *basis* et q. s.

2) In verbis, quae de bacchio et palimbacchio v. 27 leguntur: *horum arsis ac thesis eadem est, quae anapaesto et dactylo* offendi, iam dudum in Museo Rhen. VI, p. 159 monui, cum fere tale quid exspectetur: *horum in arsi ac thesi eadem est variatio*, sed quaeritur an compilatori relinquenda sint, qui etiam de amphibracho et cretico non satis dilucide scripsit (p. 46, 2): *horum arsis ac thesis longe inter se discrepant.*

3) Post Westphalum, Keilium, Hensium, quem in libro de Iuba artigrapho (Acta soc. philol. Lips. IV) res inter se discrepantes aut temere repetitas non solum in Aphthonium, sed in ipsum Iubam conferre dubitationem movit, nuperrime Gerhardus *Schultz* accurata disputatione Vratislaviae edita investigavit, *quibus auctoribus Aelius Festus Aphthonius de re metrica usus sit,* qui in libris Marii Victorini nomine editis Iubae et Thacomesti libros ab Aphthonio permixtos discernere sibi visus est. Nomini aperte corrupto, quod semel occurrit, talem in historia literarum locum adsignari vix probabitur. Ceterum facilius Thaumasti nomen certe non ignotum apud Victorinum p. 140, 2 restitueris, quam Theoctisti grammatici, de quo Bergkius cogitavit, si in re prorsus obscura placeret vana divinatio.

diversos Marii Victorini auctores unum fuisse, qui solus praeter omnes reliquos scriptores novum dicendi genus usurpaverit, parvam habet veri similitudinem, nisi ex ipsis verbis plane id intellegatur aut certissimis probetur argumentis, etiam minorem, si ad istam sententiam stabiliendam non levioribus opus est verborum emendationibus, quam ad defendendam contrariam rationem.

Promamus igitur Marii Victorini caput, quod de arsi et thesi inscribitur (p. 40 sq.), codicum non Keilii lectionem sequentes, ubi dubitari potest, num emendationes certae sint. Cum his componamus grammatici Ambrosiani, qui dicitur, primum a Keilio (analecta grammat. Hal. 1848), deinde a Nauckio (append. lexici Vindob. Petrop. 1867. p. 253 sqq.) editi verba latinis consimilia. Cui in hac quaestione explicanda eo maiorem vim tribuere licebit, quod Westph. ipse (Fragm. p. 103 = Rhythmik tert. edit. p. 107, cf. p. 210) eius cum latinis illis grammaticis convenientiam praecipue commemorat, quanquam eam simul ad Marii Victorini de arsi et thesi caput, in quo aliud dicendi genus inesse vult, pertinere silentio praeterit. Postea Victorini verba explicanda et, quatenus necessarium esse videtur, emendanda erunt.

Mar. Vict.

Arsis igitur ac thesis quas Graeci dicunt, id est sublatio et positio, significant pedis motum. est enim arsis sublatio pedis sine sono, thesis positio pedis cum sono: item arsis elatio temporis, soni, vocis, thesis depositio et quaedam contractio syllabarum. nam in pyrrhichio tollitur altera brevis, altera ponitur. in spondeo quoque vicissim longa tollitur ac ponitur syllaba. trochaeo autem et iambo contraria inter se ratio est: alterius enim prius longa tollitur, dehinc brevis ponitur; alterius secundum suam legem sicut supra dicti ordinis immutatur. in dactylo vero tollitur una longa, ponuntur duae breves; in anapaesto contra, sicut in trochaeo et iambo ostendimus. etenim in simplicibus pedibus arsis ac thesis aut simpli aut dupli aut sescupli ratione taxatur. et in simplo quidem erunt pyrrhichius, spondeus, dactylus, anapaestus: horum enim par est sublationi positio, cum tantundem morae in duarum brevium positione quantum in unius longae sublatione habeatur. in duplo autem iambus, trochaeus, tribrachys, molossus: horum enim duplex sublatio, simplex positio est, vel contra. nam modo sublatio dimidio

Gramm. Ambr.

οἱ μὲν οὖν ἁπλοῖ πόδες οὗτοι τυγχάνουσι. τούτων δὲ οἱ μὲν ἐν ἴσῳ θεωροῦνται λόγῳ, οἱ δὲ ἐν ἡμιολίῳ. τοῦ μὲν οὖν ἴσου λόγου εἰσὶ τέσσαρες, πυρρίχιος, σπονδεῖος, δάκτυλος, ἀνάπαιστος· τούτων γὰρ ἶσαι αἱ θέσεις καὶ ἶσαι αἱ ἄρσεις. [Neglegentius repetitum est *ἶσαι*.] *τοῦ δὲ διπλασίονος ὁμοίως τέσσαρες, ἴαμβος, τροχαῖος, τρίβραχυς, μολοσσός. τούτων γὰρ ἤτοι ἡ ἄρσις διπλασίων ἐστὶ τῶν θέσεων* [f. *τῆς θέσεως*] *ἢ τὸ ἀνάπαλιν*[1]).

1) Cf. praeter alios Diomed. p. 480, 10: *iambi enim arsis unum tempus tam in se habet et eius thesis duo, quam trochaei versa vice arsis duo habet et thesis unum.* Eodem pertinent ea quae Gaisfordus in scholiis Hephaestioneis e cod. Saib. prompsit p. 171 a neque a Westph. neque ab Hoerschelmanno in scholiorum editiones recepta: *ἢ ὅτι οἱ μουσικοὶ τὸν μὲν ἐν διπλασίονι λόγον ἴαμβον*

Mar. Vict.

plus habet modo positio. at in sescuplo pedes tres, bacchius, palimbacchius, [amphibrachys,] creticus. et in cretico nunc sublatio longam et brevem occupat, positio longam, vel contra positio longam et brevem, sublatio unam longam: prout syllaba se obtulerit, id fiet.

in bacchiis etiam haec divisio est. nam bacchius a brevi incipiens in sublatione semper brevem et longam retinet, in positione longam; palimbacchius autem in sublatione longam, in positione longam et brevem, ne in quadruplum ratio temporum protendatur, si duae longae adversus unam brevem copulentur. qua ratione sescupli et paeones continebuntur. molossi ratio aeque duplex: nam idem valent duo contra quattuor, sicut quattuor adversum duo, ut modo sublatio unam longam habeat, positio duas, nunc positio unam, sublatio duas longas.

amphibrachys, in quo duae breves, media longa est, in arsi tria, in thesi unum tempus accipiet, rursusque arsis unum, thesis tria sibimet vindicabit, non simpli, nec dupli seu sescupli, ut in reliquis, ratione diducta, quippe cum tribus temporibus unum vel contra unum tribus insequentibus repugnare videatur, unde minus aptus pes in metris, musicis autem consentaneus aestimatur.

Gramm. Ambr.

τοῦ δὲ ἡμιολίου τρεῖς, βακχεῖος, παλιμβακχεῖος, κρητικός. ἐν μὲν οὖν τῷ κρητικῷ κατὰ σχέσιν τῶν μέτρων ὁτὲ μὲν ἡ ἄρσις τὴν μακρὰν καὶ τὴν βραχεῖαν [inser. *ἔχει*], *ἡ δὲ θέσις τὴν μακράν, ὁτὲ δὲ ἔμπαλιν ἡ μὲν ἄρσις τὴν μακράν, ἡ δὲ θέσις τὴν βραχεῖαν καὶ τὴν μακράν.* [Sic supplenda esse codicis verba *ἡ ἄρσις τὴν μακράν, ὁτὲ δὲ ἔμπαλιν ἡ μὲν ἄρσις* et q. s. omnes consentiunt.] *ἐπὶ δὲ τῶν βακχείων διωρίσθαι πᾶσα ἀναγκή, ἐν μὲν τῷ βακχείῳ τὴν μὲν ἄρσιν μίαν ἔχειν μακράν, τὴν δὲ θέσιν μακρὰν καὶ βραχεῖαν, ἐν δὲ τῷ παλιμβακχείῳ τὴν μὲν ἄρσιν ἐκ βραχείας καὶ μακρᾶς, τὴν δὲ θέσιν ἐκ μακρᾶς· εἰ δὲ μή γε, εἰς τετραπλασίονα* [sic scr. pro *τριπλασίονα*] *ἐκπίπτει* [f. *ἐμπίπτει*, quanquam defendi potest codicis lectio] *λόγον.* [Discrepant Marius et grammat. Ambr. mutatione nominum bacchii et palimbacchii, quae apud metricos saepe reperitur.] *ἡμιόλιος δέ ἐστι λόγος ὁ περιέχων ἐν ἑαυτῷ τὸν ἀριθμὸν τὸν* [add. *αὐτὸν* s. *συγκρινόμενον*, cf. Nicomach. introd. arithm. 19, 1] *ὅλον καὶ προσέτι τὸ ἥμισυ αὐτοῦ. ὁ γοῦν τρία περιείληφε τόν τε δύο ἀριθμὸν καὶ τὸ ἥμισυ τούτου τὸν ἕνα· τὸ δὲ αὐτὸ κατὰ ἀναλογίαν καὶ ἐπὶ πάντων τῶν τοιούτων θεωρείσθω. ὁ δὲ ἀμφίβραχυς τριπλασίονος ὢν λόγου ἄθετός ἐστιν εἰς μετροποιίαν* . . .

[immo *ἰαμβικὸν*] *καλοῦσιν, ὅταν ἡ ἄρσις τῆς θέσεως διπλασίων ᾖ*, in quibus arsin et thesin idem significare quod apud latinos metricos et gramm. Ambr., etiamsi omittatur *ἢ τὸ ἀνάπαλιν*, iam in libro de Arist. Quint. p. 277 dixi.

De duplici arsis thesisque definitione iis quae saepe dicta sunt nihil habeo quod addam, nisi in altera explicatione non esse omittendum *temporis*, id quod post Christium (Metrik p. 43 ed. I — omissa sunt verba Marii in ed. II p. 53 —) placuit Hensio de Iuba p. 182. Nam praeterquam quod temporis notio latius ad universum rhythmum pertinet, hoc loco spectari videtur triplex materiae rhythmicae secundum Aristoxeni doctrinam divisio, quae in corporis motu, soni modulatione, sermone cernitur; neque licet ea de re cogitari, genitivum *vocis* pendere a v. *soni*. Quod autem thesin Victorinus dicit esse depositionem et quandam contractionem syllabarum, hac in re etiam magis quam in reliqua disputatione posteriorum grammaticorum usum sequitur, qui depositionem proprie Graecorum *ἀποθέσει* i. e. *καταλήξει* (fini metri) respondentem pro positione ponunt. Quae diversarum rerum confusio vel magis apparet in eo quod thesin *contractionem syllabarum* appellat, ubi alii soni vel vocis remissionem s. depressionem dicunt; ipse huius definitionis auctor de ea *correptione* soni cogitasse videtur, quam a Terentiano Mauro aliisque ad accentum referri supra vidimus (p. V). Ex his definitionibus inter se diversis explicationem eorum quae subsequuntur derivari non posse manifestum est. Ceterum non praetermittendum est, similem alteri definitionem exhibere omnes qui arsin et thesin manifesto incipientem et desinentem partem appellant, nisi quod priorem partem modo sublationem, modo elationem, modo elevationem, posteriorem modo positionem modo depositionem nominant.

Quae de pyrrhichio et spondeo dicuntur, decernendi in nostra quaestione vim non habent; certe nihil inest, quod ad vulgatum apud metricos dicendi genus referri nequeat, nam *vicissim* nihil aliud significat, nisi alteram longam tolli, alteram poni, quod de pyrrhichio antea dictum est. In iambi definitione Keilius ea quae ipsi et aliis lacunosa esse videntur, sic emendanda censuit: *alterius secundum suam legem **brevis ponitur**, **longa tollitur** situ supra dicti ordinis immutato.* Mihi primum scribendum videtur *secundum **versam** legem*, ut e. c. apud Terentianum Maurum 1385: *nec minus currit trochaeus, lege versa temporum.* Deinde siquidem lacuna explenda est, id quod non prorsus nego, eodem iure atque ea quae Keilio placuerunt inseri poterunt: *brevis tollitur, longa ponitur,* ita ut haec prorsus concinant cum ea doctrina, quam apertissime Diomedes expressit loco supra ad grammaticum Ambros. laudato. Sed quaeritur, an scriptor mente explendam relinquere potuerit sententiam, si cetera ita scripsit ut Keilius voluit; nisi forsitan id placet, ut parva mutatione facta locum sic restituamus: *alterius secundum versam legem situs supra dicti ordinis immutatur,* in quibus verbis genitivus *alterius* ab eo quod est *legem* penderet. Maiorem vim ad Westphali explicationem confirmandam Jano habere videntur ea quae de pedibus simplae rationis dicuntur. Et ego ipse olim concessi, hunc locum pro Westph. sententia stare videri, cum ea quae ad explicandam parem sublationi positionem afferuntur, secundum eam et ad dactylum et ad anapaestum referri possint, secundum nostram solum dactylum spectent. Sed alia argumenta et e subsequentibus pedum explicationibus et e grammatici Ambr. verbis desumpta ad contrariam opinionem nos trahere contendi, ita ut verba *et contra* aut addenda aut mente supplenda sint. Nunc hanc alteram rationem praefero, cum omnino verba explicantia exempli tantum

loco dactyli divisionem apponant; nam ad totam classem eorum pedum, qui simpli rationem exhibent, etiam illa explicatione admissa non pertinent, cum pyrrhichium et spondeum non spectent. Simili ratione utitur Sergius in Donat. p. 481, 16: *et est aequa divisio in his pedibus, qui soluti tot tempora habent in arsi quot in thesi, ut est dactylus.* Neque igitur concedendum erit Jano, meae opinioni obstare ipsa verba Victorini, nisi addantur nonnulla verba. Quanquam si addenda statuam, eodem iure utar, quod ipse Janus in subsequentibus verbis explicandis non parcius me ipso adhibet. Iam enim molussus num recte ponatur in eorum numero, qui dupli rationem habeant, dubitat, quia postea demum accuratius de eo agatur, eiusque divisio ab iambi trochaeique in arsin et thesin distributione admodum diversa sit. Quod quo iure dicat, equidem non intellego, cum etiam reliqui metrici, qui tales res attigerunt, hunc pedem cum ceteris dupli rationem exhibentibus componere soleant, pari eum cum ionicis loco, quod ad partium distinctionem attinet, plerumque collocantes; quod autem aliam ei subesse rationem atque iambo trochaeoque dicit, ideo tantum statuere videtur, ut suam explicationem verborum de molosso postea insequentium retinere possit, de qua postmodum videbimus. Illud autem argumentum, quo ego maxime usus sum ad vulgarem verborum de quibus agitur significationem etiam huic capiti vindicandam, quod inest in vv. *horum enim duplex sublatio, simplex positio est vel contra*, (quae quam vim habeant, manifestum erit comparantibus graeca grammatici Ambrosiani verba et ipsam eorum quae proxime sequuntur, quamvis falso loco posita, analogiam) — verum esse concedit, cum *contrarium* secundum alteram explicationem ita tantum effici posset, si in iambo, trochaeo, tribracho fortior pars, quam sublationem esse vult, in brevem syllabam unquam caderet. Quod cum fieri nullo modo possit, vv. *vel contra* hoc loco deleri, et cum iis quae proxime sequuntur in aliam formam immutatis post pedum sescuplorum enumerationem poni vult, ut post v. *creticus* fere haec legantur: *horum vel sublatio tres partes continet, positio duas, vel contra: nam modo sublatio dimidio plus habet, modo positio.* Vix tanta audacia, qua admissa demum id efficitur, quod adversarii mei reperire volunt, magis placuerit, quam mea verborum tractandorum ratio, qui nihil immutari statui, nisi ut vv. *nam modo sublatio dimidio plus habet, modo positio*, quae ad duplex metrorum genus referri non possunt, ad sescuplum referantur post v. *creticus* posita, id quod Keilius et Hensius susceperunt verbo *horum* [s. *in his*] vix necessario post *nam* inserto.

Iam sequuntur ea verba, quae omnem dubitationem removerent, si recte tradita essent: *et in cretico nunc sublatio longam et brevem occupat, positio longam; vel contra positio longam et brevem, sublatio unam longam: prout syllaba se obtulerit, id fiet.* Sed haec corrupta esse, non possum quin iterum atque iterum contendam. Nihil enim aliud significari posse, nisi aut priorem aut alteram partem cretici tria tempora continere, id quod alii quoque metrici docent, apparet e verbis *prout syllaba se obtulerit,* in quibus *media* [*brevis*] post v. *syllaba* aut addendum aut mente supplendum est. Nam quid haec verba sibi velint, si discrimen utriusque cretici ea in re insit, ut in altero longa cum brevi fortiorem pedis partem contineant, in altero eaedem syllabae debiliorem, nemo hucusque demonstravit, quanquam hoc argumento praeter cetera iam ante viginti quatuor annos

ita usus sum, ut respondere deberet is qui meam sententiam refutare vellet. Igitur aut glossematis loco sunt *verba positio — unam longam*, aut secundum grammaticum Ambrosianum sic emendanda *vel contra sublatio unam longam, positio brevem et longam*, nisi recto ordine minus observato Marium scripsisse statuamus *positio brevem et longam, sublatio unam longum*. Janus quidem asseverat, positionem in mea verborum explicatione nunquam primo loco nominari posse, id quod ego etiam in molossi definitione proxime sequente fieri dixi. Sed eandem neglegentiam, si qua est, admittunt grammatici, in quibus de vulgari verborum, quae tractamus, usu nulla dubitatio est, ut Pompeius p. 124, 15, ubi de trochaei iambique in dupla divisione discrimine loquitur: *puta ista pars, arsis, habet duo tempora, thesis unum; aut thesis duo, arsis unum*, cum v. 19 sq. de eadem re dicat: *iambus duplam habet divisionem; unum habet arsis, duo thesis. trochaeus: duo in arsi, unum in thesi*; et Diomedes p. 474, 2: *metrum est compositio pedum ordine statuto decurrens modum positionis sublationisque conservans*; — nec minus ipse Marius Vict. in capite de pedibus, in quo vulgarem usum regnare omnes consentiunt, p. 44, 4: *quia in percussione metrica pedis pulsus ponitur tolliturque*. Accedit quod Vict. vix dicere poterat in bacchio et palimbacchio esse eandem divisionem atque in cretico, nisi in hoc et ipso aut priorem partem tria tempora habere alteram duo, aut priorem duo alteram tria statuisset. An quis unquam metricae artis doctor sibi persuaserit, in bacchio quidem (⏑ — —) fortiorem pedis partem brevi et longa semper contineri, in palimbacchio autem (— — ⏑) una longa? — Ceterum quod ad verborum lectionem attinet, neque satis placet quod Keilius coniecit: *prout syllabae se obtulerint, ita fiet divisio*, neque cum Hensio: *prout syllaba se obtulerit. fiet in bacchiis etiam haec divisio. nam* e. q. s. Sed ita optime processerit enuntiatum: *et in cretico nunc sublatio longam et brevem occupat, positio longam; vel contra* [*sublatio unam longam, positio brevem et longam*], *prout syllaba* ***media*** [***brevis***] se *obtulerit. idem fiet in bacchiis*, ***in quibus*** *etiam haec divisio est. nam bacchius* et q. s. Sententia ipsa a diversa ultimorum verborum emendatione non pendet.

Tota quaestio solvi et discerni mihi videtur iis, quae de molosso et amphibracho dicta leguntur. Nam in molosso, qui aut iambum aut trochaeum extensum in duplicem temporum numerum exhibet, id quod ipsa compositionis explicatione addita *idem valent duo contra quattuor, sicut quattuor adversum duo* exprimitur, pars fortior unam longam habens, debilior duas, idem esset ac si in iambo brevis syllaba ad fortem, longa ad debilem referretur, quam rationem Janus in iambo quidem unquam inesse negat, in molosso autem non prorsus reicit. Vv. *nunc positio unam, sublatio duas longas* eandem iambi formam repeterent recta distributione rhythmica adhibita; de ea autem forma, quae trochaeo responderet, nihil dictum esset. Accedit quod cum verbis rationem temporum in utraque forma designantibus non magis conveniret explicatio quae subsequitur, quam in mea verborum interpretatione, in qua positionem neglegentius quidem, sed non praeter omnem usum ante sublationem commemoratam supra exposui atque defendi. Denique amphibrachys secundum adversariorum meorum explicationem aut hanc haberet formam ⏑ ⏑́ | ⏑, aut hanc ⏑́ | — ⏑, ea autem, quam exspectamus ⏑ | —́ ⏑, ut inter se com-

ponantur pedes fortiorem partem aut antecedentem aut subsequentem habentes, sicut in dactylo et anapaesto, trochaeo et iambo, ne commemoraretur quidem.

His expositis num verum sit Jani iudicium, et arsin thesinque in hoc uno Marii Victorini capite non idem significare quod in recentiorum metricorum usu, et in molosso sicut in omnibus generis paeonici pedibus debiliorem pedis partem secundum hunc auctorem plura tempora continere posse quam percussam, et ipsi et aliis iterum expendendum relinquo.

Transeamus ad id Marii Victorini caput, quod de rhythmo inscribitur. In quo cum Westphalus Aristoxeniam arsis thesisque notionem reperiri olim statuisset, equidem nihil inesse dixi, quod ad alium atque eundem vulgarem usum, quem in eodem libro et antecedentia et subsequentia exhibeant, agnoscendum nos cogat. Et Janus quidem simpliciter priori Westphali disputationi assentitur, de hoc capite quid sentiat non exponens; Westphalus ipse in libro nuper edito p. 208 sqq. suam sententiam repetit, meam non refutat, sed contumeliose in me invehitur, argumentatione mea non accurate descripta et enarrata, sed in absurdum, ut ipsi videtur, detorta [1]. Nihilominus ipse enuntiat, Victorinum s. Aphthonium suspicatum non esse, arsin et thesin diversam vim habere in diversis capitibus a se propositis [2]. At hoc est, quod mihi volui et unde conclusi, e latini metrici verbis, siquidem is suae aetatis usum ante oculos habuerit, nihil colligi posse de Aristoxeniae doctrinae ea parte, quae et ipsa in dubium vocatur. Minime nego neque unquam negavi, e diversis fontibus hausisse eum qui libros Mario Victorino vulgo inscriptos composuerit; atque graecae cuiusdam doctrinae apertiora in hoc capite vestigia inesse quam alibi, ex ipsis graecis verbis saepe in eo occurrentibus (licet etiam in aliis eruditionem altius repetitam non prae se ferentibus, ut in ipso de pedibus capite, vix rarior eorum sit usus) et ex Aristoxeni mentione in extremo capite facta eiusdemque enuntiatis nonnullis receptis sumi potest, sed hinc non sequitur, ut quae apud Victorinum legantur in Aristoxeniam formam cogere debeamus a reliquis praeceptis discedentem, ubi verba ipsa cum reliquis latinorum metricorum ipsiusque Victorini praeceptis concinere videantur, etiamsi forsitan posterioris aetatis scriptores sententiam primarii fontis, unde per varios rivulos sua acceperunt, non prorsus recte intellexerint. Neque praetermittendum est, Victorinum in proxima parte, quae de pedibus inscribitur, ipsum ad ea, quae in superioribus plenissime dicta sint, provocare (p. 46, 4).

---

1) In his ardore animi correptus oblitus esse videtur, se ipsum Mario in capite de arsi et thesi inscripto non tribuisse vulgatum apud metricos latinos dicendi genus. Alios errores, quos in hac parte disputationis (p. 210) in locis scriptorum afferendis committit, nunc non persequor.

2) Westph. p. 211 hoc dicit: *Wir dürfen die Vermuthung aussprechen, es sei demselben nicht zum Bewusstsein gekommen, dass die Wörter ἄρσις und θέσις in den Capiteln »de mensura longarum et brevium syllabarum«, »de arsi et thesi«, »de pedibus« in einer anderen Bedeutung verstanden sein wollen, als in dem Capitel »de rhythmo«.* Neglegentius h. l. una cum ceteris commemoratum est caput de mensura syllabarum inscriptum, in quo de arsi thesique rhythmica nihil dicitur, sed de sola *positione* grammatica agitur producente syllabam, quae natura brevis est.

Ut vero quicunque hanc disputationem persequi velint, ab opinione praeiudicata se continere possint, etiam huius loci verba eaque secundum Keilii editionem p. 42, 7 sqq. in medium proferamus, additis iis, quae de eius lectione et sententia adnotanda videntur.

> Rhythmorum autem tres esse differentias volunt in dactylo iambo et paeone, quae fiunt per arsin et thesin. nam dactylus aequa temporum divisione taxatur, ut et anapaestus: uterque enim pes quattuor temporum est. nam ut longa prima dactyli duabus brevibus insequentibus par [sibi] [1]) et aequalis est, ita [2]) et in anapaesto fit, ut initium fini simile inveniatur, et dicunt in arsi et thesi aequalem rationem *esse, id est ἴσον λόγον.* idem fiet [3]) in dipodia facta coniugatione binum pedum per choriambum et antispastum, quia quantum in sublatione habet, tantundem in positione, et idem apud Graecos *ἴσος ῥυθμός*, id est aequalis [4]), dicitur. secundus autem rhythmus in iambo dupli ratione subsistit, *in* qua *et* trochaica et utraque ionica [5]). monosemos [unius] enim [temporis] arsis ad disemon thesin comparatur. etenim iambus a brevi syllaba incipit, quae est unius temporis, et in longam desinit, quae est temporum duum; trochaeus autem contra. eadem et in ionicis metris dupli ratio [6]) versatur: nam ionicus *ἀπὸ μείζονος* incipit a duabus longis et in duas desinit breves; ionicus autem *ἀπὸ ἐλάσσονος* a brevibus incipiens in longas desinit. erit itaque in his disemos arsis ad tetrasemon thesin [7]), quia unam partem in sublatione habent, duas in positione, seu contra [8]). ergo iambica et trochaica metra, quae in dupli [9]) ratione sunt posita, facta coniugatione binum pedum ad legem quadrupli [10]) voca-

---

1) *sibi* ex mea coniectura (Mus. Rhen. VI. p. 158) del. Keilius et Hensius (de Iuba p. 180), *parilis* coni. Ritschl. Fors. vitium e glossemate *syllabis* ortum. An adscriptum fuerit graecum *ἴσος*?

2) *idem* codd. *ita* Keil. *item* Christ.

3) *idem etiam* codd., quod retinuit Hensius; aliter emend. Bergk.

4) Corruptam codd. lectionem non eodem modo emendarunt editt.

5) *substitit trochaica et utraque ionica* codd. Bergkius addit *metra.* Fors. *qua et in trochaeo et utroque ionico*, sive simile aliquid.

6) *ratione* codd., quod post me Bergkius in *ratio* mutavit probantibus editoribus. Sed cum cod. B ante *eadem* habeat *qui*, fors. leg. *qui* (sc. rhythmus) *eadem et in ionicis metris dupli ratione versatur.*

7) *inter hos disemos ad tetrasemon arsis ad thesin* codd., iidem *habet* pro *habent.*

8) *quia unam — contra* seclusit Hensius auctore Christio, qui haec verbis *eadem — ratio versatur* olim adscripta esse voluit. Immo ad pedes trium temporum pertinent, cum *partes* etiam infra in hemiolii numeri descriptione ad singula tempora referantur. Itaque in proximo enuntiato post *posita* sedem suam habebunt, ita tamen ut vv. *seu contra* huic loco relinquantur, quae nihilominus ex nostra sententia post *positione* repetenda sunt. Westph. Metrik 1^2 p. 562 temere scr. *alteram* pro *duas;* nunc Keilium sequitur. Nec minus temere Bergkius verba mutavit.

9) *duplici* codd. Mutatione non opus erat.

10) In *quadrupli* neminem haesisse mireris usque ad Westph., qui nuper l. l. p. 209 haec sic emendari iussit: *ad legem aequalis, non dupli vocabuntur*, vera quidem sententia expressa, sed nescio an minus aptis verbis. Exspectandum est verbum, quod Graecorum *τετράδι* respondeat, cum quaternarius numerus, ad quem coniugati pedes bisyllabi revocari possunt, solam aequalem divisionem in rhythmo admittat. An leg. *quadrupertiti* s. *quadrui*, sicut *τετραδικὴ ἐπιπλοκὴ quadrua amplexio* a Victorino appellatur? Respici etiam poterunt quatuor tempora, quae supra ad aequam dactyli et anapaesti divisionem explicandam adhibita sunt.

buntur. tertius autem rhythmus, qui paeonicus a musicis dicitur, hemiolia *ratione*[1]) subsistit, quae est sescupli ratio. hemiolium enim dicunt numerum, qui tantundem habeat quantum alius et dimidium amplius, ut si compares tres et duo: nam in tribus et duo et eorum dimidium continetur. quod cum evenit, trisemos arsis ad disemon thesin accipitur, id est tres partes in sublatione habens, duas in positione, seu contra. quam rationem maxime incurrunt paeonici versus et bacchii, ita pedibus *per* metra gradientibus[2]), ut paeonicus servetur rhythmus. hae sunt tres partitiones, quae continuam rhythmopoeiam faciunt. Aristoxenus autem ait non omni modo inter se composita tempora rhythmum facere. nam coitus[3]) temporum communis est rhythmo et arhythmiae. unde si apte congruant spatia, rhythmum faciunt, si contra, arhythmiam, ut intellegamus et in ipsa concursione temporum non fortuitam, sed certam esse disciplinam.

Iam videamus, num in his verbis aliquid insit, quod necessitate quadam aut verisimilitudine ad alterutram verborum arsis et thesis vim admittendam nos cogat. Et primum quidem non neglegendum videtur, in pedum descriptione semper arsin s. sublationem praemitti, licet de iis pedibus sermo sit, qui *θέσιν* Aristoxeniam priorem habeant, id quod e. c. ab Aristide Quintilano fieri non solet. Quanquam huic argumento haud magnam vim tribuerim. In iis, quae de aequali ratione dicuntur, nihil est quod non possit ad alterutrum usum referri. In secundo rhythmo primum describitur iambus, ad quem solum pertinent verba *monosemos enim arsis ad disemon thesin comparatur*, quae non ad universum rhythmum trahi posse, inde patet, quod ionica metra, non minus quam trochaeus ad eandem cum iambo rationem relata, non tribus sed sex temporibus constant; nulla igitur causa est, cur trochaeo, cui contraria iambo partitio tribuitur, et ipsi disemon thesin et monosemon arsin cum Aristoxeno dari statuamus, non cum proximo Victorini capite longam arsin brevemque thesin. Idem in ionicorum descriptionem cadit, in quibus disemos arsis ad tetrasemon thesin est *seu contra*, quae verba secundum legitimum sermonis usum significare possunt tetrasemon arsin ad disemon thesin, ex Aristoxeni autem usu, ni egregie fallor, potius omittenda erant et in iis quae ad ionica et in iis quae ad iambica atque trochaica metra pertinent, cum ratio mathematica indicetur verbo *ad* (graece *πρὸς*) usurpato, neque ratio, quam habet disemos arsis ad tetrasemon thesin, differat ab ea, quam habet tetrasemos thesis ad disemon arsin. Ex altera vero explicatione non solum ordine earundem partium pedes discedunt, sed et arses et theses ipsae inter se diversae et contrariae sunt. Hoc confirmatur eo modo, quo grammaticus Ambros. verba *ἀνάπαλιν* et *ἔμπαλιν* ad significandam pedum diversitatem adhibet. Itaque ne nunc quidem commoveor ad accipiendam eam explicationem, qua Westph. Rhythmik ed.

---

1) Interpositam a Keilio *ratione* Hensius suo iure om. — *substitit* codd., quod iam editio princeps correxerat.

2) *ita nobis metra gradientibus* codd. *partientibus* pro *gradientibus* Hensius. Nihil mutandum in codd. lectione, quae respondet ei quod apud graecos metricos in usu esse constat: *τὸ μέτρον βαίνεται*, et apud latinos *scandere versus*. Quanquam commendari possit Keilii emendatio collatis locis p. 40, 6. 57, 4.

3) *coetus* codd. Cur displicuit editoribus?

III p. 226 contrariam ionici a maiore et ionici a minore naturam a metrico nostro in solo ordine positam esse contendit.

Sed ut hac de re controversia esse possit, minime de hemiolio numero dicta, quibus summam vim in tota quaestione Westph. tribuit, cum vera rerum natura conveniunt, si secundum Aristoxeniam disciplinam explicantur. Ita enim huius generis pedes aut has haberent formas –⏑|–́, ⏑–|–́, aut has –|⏑́–́, –|–́⏑́, si quidem nostra verborum *seu contra* interpretatio iis adhiberetur; excluderentur igitur eae, quas prae ceteris commemorari exspectamus –́⏑́|–, ⏑́–́|–. Neque aptiores evaderent, si illam Westphali sententiam de verborum *seu contra* significatione hic admitteremus, pedes formae alterius hi –́|⏑–, –́|–⏑; sic enim omitterentur omnes, quos rhythmici et metrici statuere solent: creticus, qui trisemon habet thesin ante arsin disemon, bacchius et palimbacchius, qui et ipsi trisemon habent thesin, sed ille aliter dispositam, hic post arsin collocatam (–́⏑|–, ⏑–́|–, –|–́⏑). Solum autem hunc creticum obtineri –́|⏑–, ne iis quidem placuerit, qui hanc primariam esse eius formam statuerunt. An hoc quidem in loco Marius cum Westphalo (Aristoxen. p. 83. Rhythmik p. 225) ita explicandus est, ut verba *seu contra* ad trisemon thesin et disemon arsin referantur? Tum eodem modo distinguendus erit ionicus disemon arsin et tetrasemon thesin habens ab eo, qui disemon thesin ante tetrasemon arsin exhibeat. Quod cum nemo admittere possit, tota ista demonstratio ad nihilum mihi videtur recidere. Nihil autem difficultatis habet, siquidem veterum metricorum doctrinam spectamus, id quod ex eorum usu in nostrum locum explicandum adhibito emergit, hemiolium numerum cerni in pedibus, qui aut priorem partem trium, alteram duorum temporum habeant, aut priorem duorum, posteriorem trium. Hoc autem prorsus convenit cum iis, quae grammaticus Ambrosianus de duplici cretici forma atque de duobus bacchiis docet, et quae Victorinum etiam in praecedente capite non dissentientem a Terentiano Mauro proferre statuimus. Quanquam ne opus quidem esset, ut in nostrum locum id quod illi de duplici cretico docent transferretur, cum ad eum explicandum creticus tria in fortiore parte, duo in debiliore habens tempora, bacchius et palimbacchius sufficiant. Denique non omittenda est eorum convenientia, quae de sescupli numeri natura apud Victorinum et graecum grammaticum leguntur:

hemiolium enim dicunt numerum, qui tantundem habeat quantum alius et dimidium amplius, ut si compares tres et duo: nam in tribus et duo et eorum dimidium continetur.	*ἡμιόλιος δέ ἐστι λόγος ὁ περιέχων ἐν ἑαυτῷ τὸν ἀριθμὸν τὸν* [*αὐτὸν* s. *ἄλλον*] *ὅλον καὶ προσέτι τὸ ἥμισυ αὐτοῦ. ὁ γοῦν τρία περιείληφε τόν τε δύο ἀριθμὸν καὶ τὸ ἥμισυ τούτου τὸν ἕνα.*

Qui haec scripserunt si censendi sunt non diversam disciplinam sequi, etiam in reliquis non praeter necessitatem inter se divellendi erunt.

Quae si recte a nobis disputata sunt, nihil e Marii Victorini verbis de paeonici generis pedibus secundum rhythmicam Aristoxeni doctrinam dispertiendis colligi potest. Hoc est quod aspero arduoque itinere non repudiato demonstrandum et sustinendum nobis videbatur.